



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

Vt decima Dei census nuncupetur. cxxxv.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**

nāstri Ecclesiæ cura & solitudine necessitatum corporaliū, sine quibus hæc vita transigi non potest, releuati, liberiores fiant ad meditationem diuinæ legis & doctrinæ administrationem, atque spiritalis seruitij voluntariam expletionē. Et vt munus populi in quotidiana oblatione domino immoletur, nec non secundum statuta canonica in sustentationem pauperum, & restaurationem Ecclesiarum proficiat. Quatuor enim partes iuxta canones fieri de fidelium oblationibus debent, vt vna sit episcopi, altera clericorum, tertia pauperum, quarta restaurationi ecclesiarum seruetur.

*De illis qui decimam dare noluerint nisi precio redimantur. Cap. CXXXIIII.*

**D**E decimis quas populus dare non vult, nisi quolibet munere ab eo redimantur, ab episcopis prohibendum est ne fiat.

*Ex cōcil. Mediomatricis. cap. 3.*

*Ve decima Dei census nuncupetur. Cap. CXXXV.*

**I**tem, quod decima, quæ à fidelibus datur, Dei census nuncupanda est, & ideo ex integro reddenda. Cuius tertia pars secundum canonem Toletanum, episcoporum esse debet. Nos verò hac potestate vti nolumus, sed tantum singulis annis quartam partem vsu Romanorum pontificum, & obseruantia sanctæ ecclesiæ Romanæ de eadem habere volumus. Quod si quis contentiosus inde repertus fuerit, siue clericus, siue ille laicus sit, communionem priuabitur, & synodali censura iudicabitur.

*Ex cōcil. Agrippin. ca. 6.*

*De oblationibus parochitarum cuius esse debeant.*

*Caput CXXXVI.*

**D**E his quæ ad parochitanas ecclesias offeruntur, in tertijs, vineis, mancipijs, peculijs, antiquorum canonum instituta seruentur, vt omnia in episcopi potestate consistant. De his autem quæ altaribus offeruntur, tertia pars fideliter episcopis deferatur, duæ clericis, decimæ autem secundum quosdam singulis annis tertia pars, aut in tertio tota. Sed tamen nos sequentes Romanos, singulis annis quartam partem, aut in quarto totam episcopi recipiant.

*Ex cōcil. Toletano.*